

EXERCITATIO PHYSICA,
D E
MUNDI CAUSA

FINALI;

QUAM,

SOLE JUSTITIÆ ILLUSTRANTE;

SUB PRÆSIDIO

M. JOANNIS LUYTS,

Philosophiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Illustri
Academia Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

publicè ventilandam proponit

WILHELMUS ESWYLER; *Hornanus.*

A. D. xx. Maji, horâ locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clc lcc xci.

Philos. Nat. Met. Tom. XXVIII. 7.

Philos.

D.

92, 30

Sächsische
Landesbibliothek
Dresden

Amplissimis, Gravissimis, Spectatissimisque VIRIS,
D. D. JACOBO VRYBURGIO, Senatori, ac Exconsuli Reipublicæ Alcmarianæ dignissimo.

D. D. JACOBO à FOREEST, J. U. D., Senatori, atque Exconsuli Reipublicæ Hornanæ meritissimo; itemque D. D. Ordinum, ex collegio Illustr. ac Præpotent. D. D. Hollandiæ ac West-Frisiæ Ordinum, in West-Frisiam & partem Borealem delegatorum, Secretario dignissimo;

D. D. FLORENTIO à TEYLINGEN, Senatori, & Exscabino Reipublicæ Alcmarianæ æquissimo;

D. D. CORNELIO BAERTIO, eiusdem Civitatis Exscabino honoratissimo; Dominis ac Mæcenatibus meis plurimum honorandis;

U T E T

Clarissimis, varioque ingenii, vitæ, morumque splendore conspicuis Viris,

D. M. JOHANNI LEUSDEN, Phil. Doct., Linguarumque Orientalium peritissimo, earumque in florentissimo Lycæo Trajectino Professore Ordinario, Philologo Eximio;

D. M. GERARDO de VRIES, Phil. Doct. subtilissimo, ejusdemque Facultatis Professore Ordinario;

D. M. JOHANNI LUYTS, Phil. Doct. acutissimo, ejusdemque Facultatis Professore Ordinario, Præsidi venerando;

Præceptoribus meis facillimis, de studiis meis, tum S. Linguae, tum Philosophicis, plurimum meritis, indesque merentibus, eoque, quam diu auras carpat vitales, mihi semper honorandis, & observandis:

N E C N O N

Doctissimis, Reverendisque VIRIS,

D. FLORENTIO COSTERO, { Eloquiorum divinorum in
D. MARTINO HARLINGIO, { Ecclesia Hornana Dispensatoribus fidelissimis, Orthodoxæ doctrinæ Propugnatoribus strenuissimis, & solidissimis, conscientiarum Ductoribus prudentissimis, de me quàm plurimum meritis, quapropter ad rogam usque mihi debito honore & observantiâ colendis ac venerandis:

Hæc studiorum Philosophicorum primitias in perpetua observantiâ & gratitudinis testimonio.

D. D. D.

WILHELMUS ESWYLER, Resp.

Sächsische
Landesbibliothek
Dresden

MUNDI CAUSA

FINALI.

THESIS I.



Undum Causâ Finali non carere, liquidissimum est, cum ex consideratione Causæ, cujus influxu esse cœpit, tum ex Mundi ipsius inspectione. Fieri enim non potest, ut absque scopo & Fine prodierit tanta rerum magnitudo, tam stupenda varietas, tanta in summis & imis, maximis ac minimis dispositio, quæ quanto consilio geratur, nullo consilio mens humana assequi potis est, tanta in servandis ordinibus constantia, cum tantâ salute & conservatione rerum omnium, adeò sæpè disparium. Quippe ubi τύχη, non νόμος dominatur, abest à tali opere decor, connexio, symmetria, atque constantia, ipsumque, saltem aliquâ parte, rude & indigestum est. Quemadmodum igitur nemo barbarissimus impetrabit à se, ut credat, Sphæram Archimedis, in quam Lunæ, Solis, quinque Errantium motus alligaverat, ut tarditate & celeritate dissimilimos motus una regeret conversio (ita Cicero 11. *de Divin.*) sic multò minus hoc sibi persuadere poterit de motibus atque vicissitudinibus tam variorum corporum, in quibus nihil unquam vetustas mentita est. Idem liquebit, quando Mundi Causam inspicimus. Hæc alia esse non potest, quàm ens independens, & infinitè perfectum; quia Mundus per suam naturam (quod in Exercit. *de Mundi Duratione* non uno ar-

gumento nuper docuimus) ab æterno esse non potuit, sed ut existeret, debuit à non esse ad esse transire, vi causæ, quæ independenter & summâ cum ratione operatur, atque adco nequivit sine proposito Fine, hoc est Bruto modo, ipsum producere. *Quorum igitur causâ* (verba sunt Ciceronis *Lib. II. de natur. Deor.*) *quis dixerit esse effectum Mundum? Eorum scilicet animantium, (inquit), quæ ratione utuntur. Hi sunt Dii & homines, quibus profectò nihil est melius.* Rectius quidem, si, omissâ voce *animantium*, loco *Dii* Deus dixisset. Sui causâ Deus Mundum effecit, hoc est Ultimus hujus Finis est manifestatio inæstimabilis Dei sapientiæ, potentiæ, nec non immensæ liberalitatis ac magnificentiæ, quæ paginam utramque hîc adimplet, ac aliarum virtutum, quæ in maximo optimoque hoc opere insigniter resplendent. Nam non ornavit Deus Mundum luminibus, ut meliùs habitaret, neque hanc varietatem cælo & terræ in sui refocillationem indidit, neque creatæ laudis indigus est. Ipse sua est perfectio, sedes, deliciæ, laus, omnia, atque in ipso omnia. Quî aliàs Mundo tamdiu carere potuit? Cumque Deus nulli alteri sit obnoxius, sed ut in existendo, sic agendo omni ratione independens, necessum est, ut Ultimus Finis, quem sibi in Mundo Mundi Opifex & Origo proposuit, sit suarum perfectionum illustratio.

II. Præter hunc Finem ultimum Finem Mundi Subordinatum esse Hominem, non Cicero tantùm voluit. *Ὁμοψύχους* habet Stoicos, quorum dogma fuit: *Mundum Deorum & Hominum causâ conditum esse.* Ita in Zenone Diogenes. Vel ut loquitur Lactantius *Lib. de Ira Dei Cap. XIII: Nostrâ causâ mundum esse constructum.* Quibus neque Seneca Stoicus adversatur, quamvis inquit *Lib. II. de Ira, Cap. XXVII. Non enim Nos causa Mundo sumus, hiemem æstatemque referendi. Suas Ista leges habent, quibus divina exercentur. Nimis Nos suspicimus, si digni Nobis videmur, propter quid tanta moveantur.* Nam de Nobis solis hoc intellexisse ex non uno loco colligi-

colligi

colligi



colligitur. Quorsum aliàs, postquam *Lib. IV. de Beneficiis, Cap. XIII*, se ipse rogavit, *Mundus in quid incessum absolvit? In quid Sol diem extendit, & contrahit?* Respondet, *omnia ista beneficia sunt: sunt enim Nobis profutura*. Neque aliter Aristoteles & plures alii. Impugnant verò hanc opinionem Lucretius & Epicurus, autumantes non Hominum gratiâ Mundum conditum fuisse, sed casu provenisse; nam Deo, cui nihil deest, inanis fuisset, uti existimant, rerum molitio. Arbitrari propter Hominem effectum esse Mundum, est, inquit Bodinus, *arrogantium hominum imbecillitas*. Eiusdem mentis est Cartesius, statuens *nimis superbe nos de nobis ipsis sentire, si res omnes propter Nos solos a Deo creatas esse fingere-mus, & esse planè ridiculum & ineptum, id in Physicâ consideratione supponere. Princ. Part. III, §. II. & III*. Paria habet *Epistolarum Parte II, Epist. XVI: Puerile esset atque absurdum, ait, si quis in Metaphysicis assereret, Solem multoties terrâ majorem, non alio sine creatum esse, quàm ut homini, minimam terræ partem occupanti, lumen præberet*. Nos autem Priorum sententiæ accedimus, judicantes illam & certiore esse & tutiore, & cum Divino Testimonio meliùs consentire.

III. Hominem Finem Mundi Subordinatum esse, seu Mundum propter Hominem, Hominemque propter Deum conditum, liquet, quod quæcunque in Mundo sese offerunt, ipsi plus minus inservire videantur, seu proximè, seu remotè, seu immediatè, seu mediatè, non certè præter consilium omnia & sapientissimè, & efficacissimè, & constantissimè moderantis Dei. Priùs illud docet plus satis magistra rerum experientia, quando Mundum sublunarem & supralunarem attenti inspicimus. Per partes hoc exequeremur facillimè, nisi hâc operâ præclarè atque eleganter functus esset, in *Lib. de Ira Dei Cap. XIII*, latinissimus Pater Lactantius, quem, quamvis argumentum hoc prolixius prosequatur, non pigebit audire. Ita dicto loco instituit:

„ Omnia, quibus constat, quæque generat ex se Mundus,

„

A 3

„ ad

„ ad utilitatem solius Hominis accommodata sunt. Homo
„ utitur igni ad usum calefaciendi, & luminis, & coquen-
„ dorum ciborum, ferrique fabricandi: utitur fontibus
„ ad potum & ad lavacra, fluminibus ad agros irrigandos,
„ terminandasque regiones: utitur terrâ ad percipiendam
„ frugum varietatem, collibus ad conferenda vineta, mon-
„ tibus ad usum arborum, atque lignorum, planis ad se-
„ getem: utitur mari non solum ad commercia, & copias
„ ex longinquis regionibus ferendas, verum etiam ad uber-
„ tatem omnis generis piscium. Quod si his Elementis uti-
„ tur, quibus est proximus, non est dubium, quin &
„ Cælo; quoniam & Cælestium rerum officia ad fertilita-
„ tem terræ, ex quâ vivimus, temperata sunt. Sol irre-
„ quietis cursibus, & spatiis inæqualibus orbem annuos con-
„ ficit; aut oriens diem promit ad laborem, aut occidens
„ noctem superducit ad requiem; & tum abscessu longiùs
„ ad meridiem, tum accessu propiùs ad septentrionem,
„ hyemis & æstatis vicissitudines facit; ut & hybernis hu-
„ moribus, ac pruinis in ubertatem terra pinguescat; &
„ æstivis caloribus vel herbidæ fruges maturitate durentur,
„ vel quæ sunt in humidis, incocta & fervefacta mitescant.
„ Luna quoque nocturni temporis gubernatrix, & amissi
„ ac recepti luminis vicibus menstrua spatia moderatur, &
„ cæcas tenebris horrentibus noctes fulgore suæ claritatis il-
„ lustrat; ut æstiva itinera, & expeditiones, & opera sine
„ labore ac molestia confici possint. Astra etiam cætera vel
„ ortu vel occasu suo certis stationibus opportunitates tem-
„ porum subministrant. Sed & navigiis, quo minus erra-
„ bundo cursu per immensum vagentur, regimen præbent,
„ cum ea rite gubernator observans, ad portum destinati
„ littoris provehamur. Ventorum spiritu attrahuntur nubes,
„ ut fata imbribus irrigentur, ut vites scetibus, arbuta
„ pomis exuberent. Et hæc per orbem vicibus exhibentur,
„ ne desit aliquando, quo vita hominum sustineatur. At
„ enim

„ enim

enim cæteras animantes eadem terra nutrit, & ejusdem
fœtu etiam muta pascuntur. Num etiam mutorum causâ
Deus laboravit? Minimè, quia sunt rationis expertia,
Sed intelligimus, & ipsa eodem modo ad usum hominis
à Deo facta, partim ad cibos, partim ad vestium, par-
tim ad operis auxilia; ut clarum sit, divinam providentiam
rerum, & copiarum abundantiam Hominum vitam instrue-
re, atque ornare voluisse; laboremque causam & aërem
volucibus & mare piscibus, & terram quadrupedibus im-
plevit. Hucusque nitidus Lactantius. Verum quidem est
multa hodie dari in Mundo, quæ homini inimica, molesta, &
perniciosa observantur, atque hinc Lucretius juxta Epicuri
mentem quærit ex Stoicis; si Hominis causâ Mundum Deus
fabricârit,

*Genus horrifera Natura ferarum,
Humane genti infestum, terræque, marique
Cur alit, atque auget? Cur anni tempora morbos
Apportant? Quare mors immatura vagatur?*

Sed distinguere oportet inter statum integrum & statum lap-
sus. Nunc quidem propter peccatum Hominem incommo-
da multa ex variis rebus circumveniunt, verum hinc mi-
nimè sequitur, has in statu primævo in Hominis usum ef-
fectas non esse. Imò neque hodie absque ullo sunt usu,
quippe ex quibus notari potest, quanta peccati sit turpi-
tudo, quanta pernicietas, quàm hoc Summo Numini dis-
pliceat, quàm severus sit ejus ultor, similiaque. Nedum
materiam humanæ sapientiæ suppeditari, quæ in discernen-
dis malis ac bonis posita est, remediaque investigat, qui-
bus imminentibus malis possit occurrere. Taceo, qui à
viperis morfi sunt, Theriacam maximè convenire, neque
serpentibus lapides serpentinos, ut produnt, deesse, qui
vulneribus cum fructu adhiberi queant. Nihil itaque in
Mundo obvium, quin utilitatem præstet Homini. Id us-
que aded verum est, ut inficiari non possit ipse Cartesius,
in-

in-

inquiens citato Thesi II loco, omnia à Deo propter nos facta esse suo sensu est verum, quatenus scilicet rebus omnibus non possumus aliquo modo; saltem ad ingenium nostrum in iis considerandis exercendum, Deumque ob admiranda ejus opera suscipiendum. Quæ tamen quæ cum priore Philosophi sententiâ consentiant, vix assequor.

IV. Porro inter corpora, quæ Mundus adspectabilis suo complectitur ambitu, solus Homo, ut inter stellas Luna minores, eminet. Cætera animantia abiecit Deus ad pastum; solum Hominem erexit, atque ad contemplationem rerum cælestium, ad quarum spectaculum nullum aliud animalium genus ita admittitur, fabricavit; mentem istis donavit facultatibus, ut solus considerare possit vastissimum hoc Mundi theatrum; solus perspicere, nihil posse esse, neque dispositius ad ordinem, neque aptius ad usum, neque ornatius ad pulchritudinem; solus concludere, tantum opus neque potuisse olim sine sapientissimo, optimo, potentissimoque Artifice oriri, neque constare tot seculis in istis ordinibus absque efficacissimo ipsius moderamine; solus rapi in summam admirationem & amorem Auctoris, qui tot & tanta fecit, facitque in gratiam Hominis miracula, & solus ei hymnos canere. Adjice, solum Hominem esse sanctius hoc animal, mentisque capacius altæ, quod dominari possit in cætera, feras, belluasque domare, terram sibi subjicere, in profundo aquæ pisces venari, & quæcunque in Mundo sunt, cum ad usus vitæ necessarios, tum ad varia voluptatum genera, referre. Quare cum solus Homo, quicquid in rerum naturâ obvium est, longissimè superemineat, quidni cum Cicerone (Confer I. Thesin) liceat argumentari, ergo ejus causâ Mundus effectus est. Saltem Sapientiæ divinæ & rebus ipsis aded nihil congruum, quam ut imperfectiora perfectissimo, macrocosmus microcosmo subserviat. Choragus certè eximiam scenam non exhibet, nisi in gratiam Spectatorum, an Deus parasset tam speciosam domum Naturæ, nisi cura

cura

cura Hominum spectantium potissimum ipsi incubuisset; sine quibus quanta quanta inani studio jactaret Dei gloriam?

V. Neque aliter de Mundi Fine, cum Ultimo, tum Subordinato, quam haecenus philosophati sumus, loquuntur Sacra Volumina, quando tradunt, Deum propter se ipsum fecisse omnia, atque uti omnia sunt ex ipso & per ipsum, sic quoque in ipsum tendere; item Deum subjecisse imperio Hominis recenter conditi, imo & à diluvio, terram, & cujuscunque generis animantia. *Atque hinc colligimus, utor verbis Calvini, quorsum creata sint omnia: ne quid scilicet desit Hominibus ad omnia vitae commoda & usus.* Rectè quidem; qui enim Terræ Dominus constitutus est, ei Cœlum quoque oportet subserviat, absque quo Terra Terra manere nequit, evanidumque fuisset illicò collatum dominium. Idem patescit ex creandi modo & ordine, quem Deum in Mundi & Hominis productione observasse, sanctæ testantur Ephemerides. Primùm perfecit Cœlum & Terram, & quàm fieri potuit absolutissimâ rerum omnium affluentia, varietate & pulchritudine, usque eo exornavit, ut nihil seu ad necessitatem, seu voluptatem hominis desideraretur; demum Hominem condidit, manifesto indicio, quod qui in executione fuit ultimus, in intentione primus fuerit, cæteræque res ante productæ in multiplices usus ipsius destinatæ sint. Hominem insuper finxit Deus, non simplice jussu, uti effecta fuerant huc usque omnia, sed priùs susceptâ quasi consultatione, innuens se opus omnium præstantissimum moliri, dignum sex dierum operâ, exprimens singulari ratione suam effigiem, aptum alia in suos usus atque ad Dei gloriam vertere, atque in ipsa dominari. Cum itaque rationi Revelatio tam amicè in assignando Mundi Fine consentiat, non potest non crudum videri, quod habet Cartesius citatâ *Epistolâ XVI, Part. II: Quamvis verum sit respiciendo ad nos Homines, ut sit in Ethicis, omnia ad Dei gloriam facta esse.*

B

esse.

esse, quia nempe Deus propter omnia sua opera est laudandus; puerile tamen esse atque absurdum, si quis in Metaphysicis assereret Deum, tanquam hominem aliquem valde superbum, non alium finem in condendo universo habuisse, quam ut ab Homi- nibus laudaretur. Profecto puerile non est & absurdum cre- diderim, vel ipsi Auctori, in Metaphysicis asserere, Deum non posse absque Fine, aut ex indigentia operari, ergo Ul- timus ejus Finis non potest non esse sui Gloria; huic verò de- cantandæ quandoquidem nihil in totâ naturâ æquè par est, atque obnoxium, quàm Homo, quare puerile erit & absur- dum in Metaphysicis asserere, non alium Finem in condendo universo habuisse Deum, quàm ut ab Hominibus laudare- tur? Dices, sic Deus similis erit homini alicui valdè superbo. Pudibunda hæc est similitudo, atque indigna homine, & hoc in primis Philosopho, qui *memoria nostra pro summa regula infigendum clamat, ea, quæ nobis à Deo revelata sunt, ut omnium certissima esse credenda.* Duo cùm faciunt idem, non tamen faciunt idem, hinc si usquam verissimum. Non titillat Deum humana gloria, quasi per ipsam fieri posset ullâ parte beatior, quod satis perspexit ipse Lucretius, quando de Diis loquens interrogat,

— *Quid enim immortalibus, atque beatis
Gratia nostra queat largiri emolumentum?*

Solus homo est, qui ex Dei laude fructum percipit, soliti, quæ infinita est ejus bonitas, cultores suos beare.

VI. Sed discutiamus argumenta, propter quæ Philoso- pho placuit, missâ ratione, revelatione, & unanimi ferè consensu omnis ævi Sapientum, in sententiam Epicuri di- scedere. Scilicet cavendum, *ne nimis superbè de nobis ipsis sentiamus, quod fieret maxime, si res omnes propter nos solos à Deo creatas esse fingeremus.* Part. III, §. 2. Bona verba! quo- rum quàm ipse memor fuerit, inter alia docere possunt, quæ de Mundo fabulatur. Inquit, eundem ordinem, qui in ipso conspicitur, potuisse à sese per leges naturæ ex Chao dedu-

deduci, imò vix aliquid supponi posse, ex quo non idem sequatur, autumatque injuriam se Deo facturum, si causas rerum ex suâ hypothesi, quæ merum figmentum est, deductas, falsas esse suspicaretur. *Part. III. §. XLVII, XLIII.* Quasi verò maximè superbè de se sentiat, qui agnoscit beneficia, quibus Deus testatur, & ipse sentit, se ex merâ ejus benevolentia cumularis; quasi maximè modestè de se sentiat, qui non sentit (quamvis & officia feræ sentiant) Dei beneficia, qui ea, non obstante multiplice Dei testimonio, inficiatur, qui ea sentire, *planè ridiculum, ineptum, puerile, & absurdum* pronuntiat. Et qui cum hoc argumento consistere potest, quod citatis locis Auctor adjicit: *In Ethicis pium esse, dicere omnia à Deo propter Nos facta esse, ut nempe tantò magis ad agendas ei gratias impellamur, ejusque amore incendamur.* An in Ethicis pium est dicere, quod sine maximâ superbiâ dici non potest? quo etiam fit, *ut propendeamus, ad cogitandum, terram hanc esse præcipuam nostram sedem, hacque vitâ melius nihil ad nos pertinere, atque adeò quo monemur, fidem dare Epicureorum dogmati: Ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas?* Confer *Part. I. Epist. VII.* An in Ethicis pium est, impelli ad gratias Deo reddendas per argumentum *fictum, planè ridiculum, ineptum, absurdum?* Nova hæc est Ethica & inaudita hætenùs.

VII. Pergimus ad alterum argumentum, quod procul dubio Cartesianæ opinionis basis est. Id extat *Part. III. Princip. §. III.* *Non dubitamus, quin multa existant, vel olim extiterint, jamque esse desierint, quæ nunquam ab ullo homine visa sunt, aut intellecta, nunquamque ullum usum ei præbuerunt.* Neque mirum, de hisce non dubitare Cartesianum, qui cognoscit, *hunc Mundum nullos suæ extensionis fines habere, imò qui putat, implicare contradictionem, ut Mundus sit finitus.* Vide sis *Part. II. §. XXI. & Part. 2. Epist. LXIX.* Atque hisce convenienter ait Auctor *Theologiae Pacificæ Cartesianissimæ Cap. IX, §. CXII: Infinita sunt, vel fuerunt in*

Mundo, vel futura sunt, ex quibus nulla utilitas ad hominem
redit. Est post pauca: Unde probabitur, in vasto illo spatio,
quod unaquaque stella fixa circa se requirit, fortè non minus
eo, quod est à Sole ad Saturnum, nulla corpora esse? Unde pro-
babitur, ultra stellas fixas non alias esse creaturas, cum infi-
nita Dei magnitudo jubeat, nos potius opera Dei amplissima
concipere? Talia autem sanè infinita, ut non dicam de iis, quæ
in penetrabilibus terræ latent, nullum usum Homini præstare satis
patet. Verum falsissima est de Mundo infinito Hypothesis,
quùm tam necessum sit, ipsum finitum esse, quàm neces-
sum est, ipsum ex partibus componi, & totum esse. Nam
pars pars non est, nisi ad totum rationem habeat, uti ne-
que totum totum est, nisi ad partem rationem habeat. Nec
ampliora fingenda sunt Dei opera, quàm ratio aut fides
permittit; hæc verò de tantâ amplitudine filet non solùm,
sed ipsam damnat. Nec Fixa quælibet tam vastum circa se
spatium requirit, id tantùm dicitur, nec doceri potest,
circa quamque Fixarum varios Planetas, cum primarios,
tùm secundarios, oberrare, qui primùm fuerunt Fixæ mi-
nores, seu corpora lucida, quæ maculis tecta à viciniore
& potentiore vortice absorpta sunt, & sensim versa in toti-
dem Planetas, sive Terras, in quibus neque ea desunt, seu
montes, seu valles, seu simplicia, seu mixta, seu plantas,
seu animalia spectes, quæ Terra nostra exhibet. Quamvis
nullus videam, qui de hac sequelâ ambigere possit, quif-
quis Cartesianam Genesin Globi terrestris veram autumat,
uti neque ambigere videntur, quanquam eloqui vix audent,
quod sentiunt. Testis est *Theologiæ Pacificæ* Auctor Cap. VII,
§. LXX, inquit: *Verosimilius esse asserere, in Lunâ esse ani-
malia & homines, quam negare.* Atque ita redeunt novus
Heraclides, Pythagoras, & Sæctatores Orphei, qui sentiebant,
uti prodit *Plutarchus*, *unamquamque stellam in infinito aethere
esse Mundum, quod terra, aër, aether, pari modo contineretur.*
Sed hæc ineptiæ sunt atque lascivientis Phantasiæ mera ludi-
bria,

bria, quemadmodum discere potest, quisquis volet, exemplo ab uno, quod in *Dissertatione de Lunicolis* dedit Vir celeberrimus, & junctissimus Collega, *D. Gerardus de Vries*. Quamobrem ruit una pariter, quæ super hoc fundamenta structa est, objectio. Licet verò multa essent nunquam ab ullo Homine visa, aut intellecta, minimè sequitur, talia non posse, aut potuisse ullum ei usum præbere. Fœtui, quando in utero formari incipit, atque postmodum, multiplicem usum præbet mater, quem tamen ille non rarò neque videt, neque intelligit. Ita in morbis quibusdam succurrere potest ægroto Medicus, ipso prorsus inscio. Quàm profit sanitati insensibilis corporis nostri expiratio, norunt Medicorum filii, millenis nunquam intellecta. Quæ in terræ latent penetralibus, nullum Homini usum præstare, nec directum, nec indirectum, satis si pateat Adversario, lubens doceri velim; secus cogitare poterit, qui ad necessaria superficiei terrestris sustentacula, ad Oceani molem, ad fluvios perpetim decurrentes attenderit. Examinatis & solutis præcipuis Cartesi difficultatibus contra Finem Mundi Subordinatum, restant nodi, quos nexuit Lucretius cum Epicuro, inquiens Deum minorem Hominum curam, quàm cæterorum animantium gessisse; maximam terræ partem inutilem esse Hominibus; fructus ejus, non nisi magno cum labore, acquiri; speratis crebrò ob casus intercidentes excidere, similiaque. Sed hosce erroris nodos petenti publicè exsolvemus; quare manum de Tabulâ.

Annexa Respondentis.

I.
UT legitima instituat^r Philosophatio, Universalis dubi-
tatio obest, non verò prodest.

I I.
Ad probandam Dei existentiam contra Atheum perperam non-
nulli ad ejusdem ideam innatam, clarissimam & distinctis-
simam, refugiunt.

I I I.
Solidissimum verò pro ejus existentia existit argumentum à sub-
ordinatione causarum petitum.

I V.
Noëtice quoque Deus innotescit.

V.
Quare nullus Atheis speculativis relinquitur locus.

V I.
Malè nobis videtur statuisse Cartesius; Deum præstitisse re-
spectu sui ipsius, quod præstat causa efficiens circa effectum.

V I I.
Essentia mentis solà cogitatione non absolvitur.

V I I I.
Et quoniam substantia immaterialis existit, generari illa, vel
ex traduce esse nequit.

I X.
Conceptus noster de infinito minimè existit positivus.

X.
Extensio infinita manifestam involvit contradictionem.

X I.
Quapropter mundus, quia semper est, & manet extensus, &
infinitus esse nequit.

X I I.
Unde possibilitas plurium mundorum sponte fluit.

XIII.

X I I I.

Ut autem infinitum, sic etiam aeternum esse mundum, repugnat; quamvis idea mundi ab aeterno fuerit in mente Divinâ.

X I V.

Nulla datur materia informis, nisi in conceptu.

X V.

Quantitas non realiter, sed ratione tantum distinguitur à materiâ.

X V I.

Motus natura non in solâ mutatione situs consistit.

X V I I.

Lumen non accidens, sed vera substantia est.

X V I I I.

Falsò & periculosè Bruta statuuntur mera Horologia.



Honoꝝ

Honori & Meritis

Ornatissimi VIRI-JUVENIS,

D. GUILIELMI ESVILERI,

Publicæ hujus Disputationis,

DE MUNDI CAUSA FINALI,

Defendentis Strenuissimi.

Gloria doctorum quondam celebrata virorum
Vivere non voluit rebus civilibus ipsos
Intentos, sed sorte suâ gaudere jubebat
Lex parvâ; veluti non omnia facta fuissent
In Fines Hominum. Sed quid juvat hisce morari?
Exiit è tetrâ longæ caliginis umbris
Lux, quæ splendentes radios diffudit in orbem
Mille modis nuper: fuit hæc *Cartesius*, Eheu,
Ut verum fatear, non lux affulsit ubique
Sed tetrâ ea sæpè fuit mutata tenebris.
Ex multis hæc pauca dabo. *Cartesius* ergò
Sic ait; ane Homini nos cuncta creata putemus?
Vix quid tale putem. Jamjam qui Dogma *Renati*
Impugnare cupis, præsens *Guiljelme*, quid optas?
Luyfus esto tibi clypeus. Defendere verum,
Et sic damnosum tandem prosternere Dogma,
Res tua sit. Tunc victor eris, tunc tempora lauris
Undique cingentur tibi; tunc tua fama manebit
Semper, tunc Homini tu cuncta creata videbis.

Non artis, sed amoris ergò posuit

NICOLAUS RICARDUS DE GRAAF,
Phil. Stud.